



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Catechesis Pverilis

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1543

VD16 M 2628

Decalogvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-33561

cem & certam formam doctrinae extare & tenere certos loquendi modos, qui nihil habent ambiguitatis, & sunt consentanei scripturae, sicut & Paulus praecepit Timotheo, ut conseruet ὑποτάκτωσιν sanae doctrinae, id est, certam formam. Nam dissimiles & ambigui modi loquendi pariunt multas (cum alius aliud intelligit) dissensiones. Saepe etiam pariunt errores.

DECALOGVS.

Quid praecipit primum praecipitum?

Apte orditur lex ab agnitione Dei. Nam primum praecipitum docet esse Deum, & requirere obedientiam, benefacere obedientibus, & punire inobedientes. Ac simul tradit modum quo Deus uult apprehendi, & cultum quo uult coli. Docet enim Deum esse uerbo & aliquo ipsius testimonio apprehendendum. Ideo sic ait, Ego sum Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, quasi dicat, Ecce hunc Deum agnosces & coles, qui tibi hoc uerbum proponit, & qui tibi proposuit testimonium de se, scilicet hoc ipsum opus, quod eduxi populum ex Aegypto. Ita & nos debemus apprehendere Deum uerbo, quod nobis datum est, & testimonio, scilicet,

DE DECALOGO. 3

cet, quia exhibitus est nobis **Christus**. **Hunc Deum**, qui est pater **Domini nostri Iesu Christi**, agnoscere & colere debemus. **Cultus** uero sunt timor & fides & perfecta dilectio. **Est enim en-**
phasis in particula Deus Tuus, id est, curans te. **Zelotes**, id est, qui non patitur alteri tribui glo-
riam Dei, non patitur alios **Deos** confingi aut in-
uocari. **Visitans iniquitatem etc.** hic requirit ti-
morem. **Rursus** requirit fidem & dilectionem,
cum ait, **Faciā misericordiam diligentibus me**,
sicut & alibi declaratur hoc præceptum, **Dili-**
ges Dominum Deum tuum ex toto corde. **Item**,
Dominū Deum tuum timebis, & illi soli seruias.
Ita primum præceptum tradit & modum agno-
scendi Dei, & ueros cultus. **Suntq; ueri & primi Veri cultus**
cultus interiores, timor, fides & dilectio. **Et quia tus.**
magis intelligi possunt hi motus, timor & fides,
ideo cum queritur quid præcipiat primum præ-
ceptum, commodissimum est respondere, timo-
rem **Dei** & fidem. **Quomodo autem fides pariat**
dilectionem, aliās dicitur.

**Satisfaciunt ne homines
huic præcepto?**

Lex **Dei** requirit perfectam obedientiam, per-
fectum timorem, perfectā fiduciam **Dei**, per-
fectam

festam dilectionem Dei, iuxta illud: **Diliges Dominum Deum tuum** ex toto corde. **Sed** quia natura hominis corrupta est uitio originis, ideo hæret in nobis dubitatio, carnalis securitas, concupiscentia, quæ magis amat carnalia quàm Deum. **Ideo** hæc infirma natura, nunquam potest satisfacere huic legi, & semper accusat nos hæc lex. **Nunquam** enim tantum timemus, aut diligimus Deum, quantum oportuit. **Imò** ne inchoari quidem potest obedientia huius præcepti, nisi prius audiamus **Euangelium** de **Christo**, & de remissione peccatorum.

Quomodo inchoatur hæc obedientia?

Ad inchoandam hanc obedientiam, necesse est addere **Euangelium** de **Christo**, & de remissione peccatorum. **Non** enim possunt humana corda Deo credere, non sentiunt se exaudiri, non diligunt Deum, nisi prius intelligant Deum esse placatum. **Cum** igitur per terræ facti agnitione peccatorum nostrorum, audimus nobis donari remissionem peccatorum, propter filium Dei **Iesum Christum**, qui pro nobis factus est uictima, **Hac** consolatione eriguntur mentes, & incipiunt credere & confidere Deo, quòd sit nobis

DE DECALOGO. 5

nobis propitius. Agnoscunt igitur eius misericordiam, & statuunt nos respici, nos exaudiri. Ideo incipiunt eum diligere. Ita in his qui agunt poenitentiam sunt terrores, timor, fides, dilectio. Et haec obedientia tantum inchoata est, placet autem Deo, quia fide propter Christum sumus facti filij. Ita legis finis est Christus. Non enim potest fieri lex nisi agnito Christo, & placet, quia credimus Christo. In hanc sententiam inquit Paulus, Lex stabilitur per fidem. Sed de hac inchoata obedientia infra iterum dicendum erit. Nunc attigi tantum, ut consideretur, quatenus obediant pii huic legi. Oportet enim pios habere inchoatam obedientiam in cordibus, nec satis est huic precepto, nosse & profiteri ea quae docet Symbolum, & obseruari externam disciplinam, in cultu huius Dei, quem praedicat Euangelium. Haec obedientia est civilis disciplina, qualis esse etiam potest in Hypocritis. Sed oportet in corde uerum timorem, ueros pauores, & rursus ueram fidem & consolationem existere. Et qui sic agnoscunt Deum, ut apprehendant eum per hoc signum, quod nobis propositum est, id est, per Christum, & per hoc uerbum nobis datum, hi uere agnoscunt Deum, quemadmodum monemur in hoc precepto.

A 5 Que

Quæ sunt peccata contra
primum præceptum?

Gradus multi sunt, sed omnes pugnant cum timore aut fide.

I **Primus** gradus est **Epicureorum**, uidelicet **ethen** se **deus**, negare quòd sit **Deus**, aut quòd sint creature res humane.

II **Secundus** est **idolatrarum**, tribuere creaturis honorem **Dei**, uidelicet omnipotentiam, inuocationem etc. Sicut gentes fingebant esse multos **Deos**, & nunc sancti inuocantur.

III **Tertius** est **Iudæorum**, **Mahometistarum** & omnium hereticorum, qui non apprehendunt **Deum** iuxta uerbum **Dei** propositum, sed fingunt sibi suos **Deos**, contra uerbum **Dei**. Item, confidunt certis ordinationibus contra ordinationem & mandatum **Dei**.

IIII **Quartus** est **Magicorum**, qui faciunt pacta cum **Diabolo**, credunt **Diabolo** contra mandatum **Dei**. Item, confidunt certis ordinationibus contra ordinationem & mandatum **Dei**.

V **Quintus** est eorum qui alligant **Deum** ad certas statuas humane autoritate positas, aut etiam uim ipsis statuis tribuunt. Nam **Esaias** docet credendum esse, quòd in omni loco pariter exaudiat

Deus.

Deus, agentes pœnitentiam. **I**tem, impietas est al-
ligare Deũ humana autoritate ad certas statuas,
aut certa opera, humana autoritate excogitata.

Sextus est **Hypocritarum**, qui quamuis non **VI**
sunt palam & deo, tamen uiuunt in carnali securi-
tate & contemnunt iudicium **D**eï, nec habent ue-
rum timorem **D**eï. **I**tem, magis diligunt opes aut
uoluptates, aut gloriam, quàm **D**eum. **I**tem, non
agnoscunt, quòd **D**eo debeat gratitudo et obe-
dientia, quia sit creator, & quòd fruimur eius be-
neficijs.

Septimus est desperatio & odium **D**eï, quem **VII**
admodum **S**aul desperat, & cum uidit se abie-
ctum, irascitur **D**eo, & odit **D**eum.

Octauus est impia fiducia propria iustitiæ **VIII**
coram **D**eo, ut **P**harisei illius **Luce** 18. **N**am hy-
pocrite dupliciter peccant. **N**on intelligunt iu-
dicium **D**eï, aduersus peccatum. **I**taque non uerè
timent **D**eum. **R**ursus etiam transferunt gloriam
quam debebant **C**hristo, in propria opera, &
propria dignitatem.

Nonus, dubitatio perpetua in animis, an ex- **IX**
audiamur, an **D**eus respiciat nos, an **D**eus uelit
nobis ignoscere. **H**uic dubitationi repugnant san-
cti, & fide se erigunt. **S**ed in impijs manet dubi-
tatio et diffidentia, quæ et ipsa gignit contẽptum

&

Et odium Dei, quia imaginatur Deum aut ociosum esse, aut iniquum, crudelem, qui tot modis affligat hanc naturam infirmam, nec uelit eam liberare.

X Decimus est impatentia. Nam Deus subiecit humanam naturam afflictionibus. Quare impatentia est obedientia erga uoluntatem Dei. Contra impatentia est repugnare uoluntati Dei, et irasci Deo, et crudelitatem aut iniustitiam Deo tribuere. Ac diligenter meminerimus impatentiam esse peccatum, contra primum preceptum, iuxta illud, Irascimini et nolite peccare. Nam haec admonitio in magnis doloribus prodest, ut discamus dolori et iracundiae repugnare. Et si autem erumpunt etiam sanctis interdum hi affectus, tamen hi repugnant eis, et subiiciunt se uoluntati Dei.

XI Vndecimus, negligere et contemnere uerbum Dei, deficere a uera doctrina, seu metu, ut Petrus deficiebat, seu propter scandala et hominum gratiam, seu quascunque alias causas.

XII Duodecimus, fiducia propriae potentiae et sapientiae, ut Sennaberib confidebat sua potentia se euersurum esse regnum Iudaicum, nec curabat auxilium Dei, nec petebat. Denique generatim peccata sunt contra primum mandatum omnis

mnis

in contemptus Dei, uidelicet deficere à Deo & contra mandata Dei facere, atque ita præferre creaturas Deo. Quare in omni peccato simul inest uiolatio primi præcepti. Nam omnis inobedientia est contemptus Dei, seu deficere à Deo.

In regione colligantur bona opera primi præcepti. Credere omnes articulos fidei, nec assentiri Epicureis, Idolatris, Iudæis, Mahometistis, Hæreticis, non tribuere sanctis honorem Dei, non inuocare sanctos, non alligare Deum ad certas statuas. Non facere pacta cum diabolo, non confidere obseruationibus contra ordinationem diuinam. Habere uerum timorem Dei, & ueram fiduciam erga Deum, propter Dominum nostrum Iesum Christum. Diligere Deum, hoc est, agnoscere, quòd Deo debeatur gratitudo & obedientia, quia sit Creator, quia fruamur beneficijs eius, quia per filiũ suum nos redemerit etc. Ac propterea non esse faciendum contra mandatum Dei, propter uoluptates, opes, gloriam, aut ullam creaturam. Non habere fiduciam propriæ iustitiæ, sed petere misericordiam & certo credere, quòd per misericordiam propter Christũ pater sit nobis propicius. Repugnare impatientiæ, & agnoscere quòd obedientia in cruce sit præstanda Deo. Non confidere potentia aut sapientia,

pietia,

piencia, sed auxilium Dei in omnibus negotijs petere. Non deficere à uerbo Dei, propter metum aut scandala, aut alias ullas causas. Hæc sunt opera primi præcepti. Et in omnibus bonis operibus debet addi hic finis, ut fiant propter Deum, hoc est, quia cupiamus Deo grati esse & obedire. Ita omnia bona opera aliorum præceptorum fiunt opera primi præcepti. Et uirtutes propriè pertinentes ad primum præceptum, sunt fides, timor, spes, dilectio, gratitudo erga Deum, id est, tota obedientia erga Deum. Et hæc opera atque uirtutes, sunt cultus Dei interiores, qui sunt uerè spirituales cultus.

Quæ est pœna uiolati primi præcepti?

Toti decalogo additæ sunt promissiones & comminationes, etsi non repetuntur nominatim in singulis præceptis.

Primum igitur sciendum est, æterna morte puniri uiolationem decalogi, sicut Christus inquit Matt. 5. Nisi iustitia uestra abundauerit etc. **I**tem, Si uis in uitam ingredi, serua mandata.

Secundo accedunt & pœnæ temporales. Estq; primo præcepto peculiaris comminatio addita, puniens in tertiam et quartam generationem zc.

Quod

Quod enim dicit uagari poenas per multos, intelligatur de temporalibus. Itaque magnitudo poenarum commonefaciat nos, ut fugiamus idolatriam & impios cultus, et conemur obedire huic precepto. Et extant exempla, ubi Deus propter poenae peccata maiorum deleuit & ipsos & posteros. Ut Saul cum tota posteritate deletus est. Propter idolatriam Salomonis regnum Israel distractum est, & secuta perpetua discordia duorum regnorum, et impij cultus in Israel instituti sunt. Ita unum peccatum peperit & infinitas calamitates & infinita peccata. Haec exempla recitantur, ut magnitudinem irae Dei aduersus peccata consideremus, & Deum timeamus. Horrendum est enim poenas uagari per multos, propter unius peccatum. Ita unus fit reus exitij multorum.

Sed obijciat aliquis, Filius non portabit iniquitatem patris, haec comminatio minatur filijs propter maiorum delicta, ergo est iniusta? Respondco ad maiorem, Maior debet intelligi de iudicio magistratus. Is tantum autorem delicti debet punire, non alios. Sed hac regula non tenetur Deus. Et sicut humanus captus non uidet quantum mali sit in contemptu Dei, imò hoc peccatum ducit esse honestissimum, Ita Deus sancit poenam supra humanum captum, et ipsius decretum eò est iustum,

stum,

stum, quia ipse decreuit. Deinde & hoc addendum est, pœna æterna nō infligitur nisi propter proprium peccatum. Sed pœnæ temporales uagantur per plures. Sic Ezechiel docet de Euangelio, quod tradit exceptionem huius sententiæ legis. Ezechiel enim accommodat sententiã illam ad iudicium spirituale, filius non portabit iniquitatem patris, uidelicet si intelligatur de æternis pœnis. Hæc enim est propria Euangelij doctrina, quod Deus remittat peccata agentibus pœnitentiam. Item quod nemo æterna pœna puniatur nisi propter proprium peccatum. Item quod etiam temporales pœnas mitiget Deus propter pœnitentiam. Itaque has duas interpretationes hîc obseruemus, uidelicet alteram de pœnis temporalibus, alteram de exceptione Euangelica, uidelicet comminatio est uera, & manet in mundo, sed excepti sunt illi, quos eximit Euangelium, scilicet qui agunt pœnitentiam. Impijs uero hæc comminatio non est abolita, lex Dei est æterna. Quare & hæc sententia aduersus impios manet & durat omnibus temporibus. Ideo punit Deus mundum, erroribus, bellis, dissipationibus rerum publicarum & alijs ingentibus calamitatibus, præcipuè propter peccata contra primam tabulam.

Que

Quæ est promissio ad-
dita primo præcepto?

Promissio est in his uerbis, faciens miseri-
cordiam in millia diligentibus me. **U**t enim
idolatriis minatur pœnas, ita e contra pro
ueris cultibus promittit ingentia beneficia, sicut
pacem, uictorias, defensionem, fertilitatem, sceli-
citatem in consilijs et rebus gerendis. Sed de pro-
missionibus legalibus hæc quatuor moneri oportet.
Primum quomodo contingant præmia, cum
promissiones sint conditionales, & legi non satis
fiat. **S**ecundum addi debet doctrina Euangelij de
cruce & spiritualibus præmijs. **T**ertium, quo or-
dine petenda sint præmia corporalia. **Q**uartum,
quòd expectatione præmiorum sit exercenda fi-
des.

DE PRIMO.

Promissiones legis sunt conditionales, dantur
enim præmia pro nostra obedientia. **Q**uanquam
autem re ipsa nemo legi satisfacit, tamen quia
Deus approbat inchoatam obedientiam propter
Christum, ideo etiam præmia dat pro illa obe-
dientia, sicut clarè inquit **C**hristus, **M**erces ue-
stra copiosa est in cœlis.

DE SECUNDO.

B

Euange